



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sapientissima Dei Mvndvm Regentis Gvbernatio; Ex qua
pendent, quæ vulgò in Casv, Fortvna, Fato, Esse Pvtantvr**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1645

§. 13. Sanitatem beneficium Dei esse: sed sæpe maius beneficium esse,
iacturam sanitatis: vt in Audomaro patuit cæcitate[m] eligente.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52314](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52314)

abstinendique studium, aliud Deus cruciam-
mentum superaddidit. Nam cum, inter sil-
uas latens, Deū veneraretur supplex, sagit-
ta, à venatoribus, in incertū missa, eum gra-
uiter fauciauit. Accepto vulnere, non modò
chirurgum aut medicinam corpori admit-
tere noluit, sed etiam Dominū enixè roga-
uit, ne quando lesa caro sanaretur. Interpre-
tabatur enim vulnus diuinitus inflictum,
vulnus amoris; quod incuratū, corporis do-
lore, ab animo arceret voluptatis cogitati-
ones.

§. XIII.

*Sanitatem beneficium Dei esse: sed sepe maius
beneficium esse, iacturam sanitatis: ut in
in Audomaro patuit cecitatē eligente.*

Matth. 4.
33.

Circuibat quidem IESVS, sanans omnem
languorem, & omnem infirmitatem in populo.
Et abiit opinio eius in totam Syriam, & obtu-
lerunt ei omnes malè habentes, varijs languo-
ribus, & tormentis comprehensos, & qui da-
monia habebant, & lunaticos, & paralyticos,
& curauit eos: & alij quidem eum adibant,
alios autem ipse adibat: alij sibi, alij alijs sa-
nitatē impenetrabant, vtique rectè: multi
tamen inuenti sunt, qui morbos sanitati
prætulerunt; & surdi, quàm audientes,
cæci, quàm videntes; claudi, quàm ambu-
lan-

lantes esse maluerūt. Sæpe enim multò fatius est, furdum esse, quàm audire id, quod est absurdum; præstat, in oculis ferre cæcitatem, quàm vanitatem; consultius est, ad cælum claudicare, quàm talaria induere, & volare ad Infernum. Quæ & ipsa est doctrina Christi dicentis: *Si pes tuus scandalizat te, amputa illum: bonum est tibi claudum intrare in vitam æternam, quàm duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis.* Item: *si oculus tuus scandalizat te, eyce eum: bonum est tibi luscum introire in regnum Dei, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.* Quod ita cum alijs multo viri præstantes, tum etiam Audomarus egregiè heroicè que sensit. Transferebatur, Attrebat, ab Auberto Episcopo corpus S. Vedasti. Aderat tunc, cum alijs, etiam Audomarus Teruanensis Episcopus, præ senio, cæcus. Hic, tum præsentium Episcoporum precibus, tum S. Vedasti meritis, recepit vsum oculorum, rem vtique alijs speratissimam. At ille longè iudicauit fecius. Etenim *agrè ferens, se liberatum esse à cecitate, quam pro salute sua sibi à Deo immisissam esse gaudebat, rursus ad votum suum excacatus est.* Adeò non magni fecit hoc

Marci 9.
44.

Sigebert.
in Chron.
An. Dó.
658.

cor-

corporis damnū, vt etiam in votis haberet

§. XIV.

*Cur Pigmenius sibi de cecitate sit gratulatus?
& quam alij cecitatis suæ possint habere
consolationem?*

Sabellic.
lib. 5. c. 7.

Magnæ sunt vtilitates oculorum, iucunditas excellens; si tamen his hominem priuet Deus, solatio est, spes rerum longè iucundiorum, in cælo, videndarum; præterquam, quod quædam inuisa non posse videri, sit quædam voluptas. Pigmenius Romanus presbyter, vel idcirco, se oculis captum, æquo animo ferebat, ne quando illi Christianæ Ecclesiæ inimicos aspicere contingeret. Quod cum non ignoraret Iulianus Apostata Imperator, obuiam illi factus per ludibrium, & magna ioci acerbitate illi dixit: *Gratias ago Dijs, ô Pigmeni, quòd te video.* Cui ille respondit: *Gratias ago Deo meo, quòd te non video.* Tam igitur forti animo cecitatem pertulit, quàm tyrannum contempsit. Dehinc Martyrij corona donatus videre cepit, quæ oculus non vidit; & audire, quæ auris non audiuit, & intelligere, quæ in cor hominis non ascenderunt. Verùm quid mirum est, si potuit patienter ferre oculorum noctem, qui adeò fortiter mortem ipsam